

50 R.

44

DE EO
QVID EX MENTE PLATONIS SIT
ΟΡΘΩΣ ΛΕΓΕΙΝ
BREVI COMMENTATIONE
EIVSQVE
SECTIONE PRIMA EXPOSIT
SIMVLQVE
SACERDOTIBUS
PLVRIMVM ADMODVMQVE
REVERENDIS CLARISSIMIS ATQVE DOCTISSIMIS
DIOECESI TORGAVIENSI
ADSCRIPTIS
ORATIONES EX MAIORVM INSTITVTIS IN HAC VRBE HABENDAS
PER OFFICIOSE INDICIT
M. GOTTLIEB MERKEL
PAST. PRIM. ET SVP.
~~~~~  
TORGAVIAE, TYPIS RUIDELIANIS A. MDCCCLXXV.

СЛОВА

ТИ СМОЛЯНЪ ВЪДЪВЪДЪ

СЪЛІВЪНО

ЗА СПІВАНИЕ МУЗИКІ

СЛОВА

ТИ СМОЛЯНЪ ВЪДЪВЪДЪ

СЪЛІВЪНО

САГЕРЯДОВЪЗ

СЪЛІВЪНО СЪЛІВЪНО

СЪЛІВЪНО СЪЛІВЪНО

ДИСЕРІДОВЪЗ

СЪЛІВЪНО

СЪЛІВЪНО СЪЛІВЪНО

СЪЛІВЪНО СЪЛІВЪНО

СЪЛІВЪНО СЪЛІВЪНО

СЪЛІВЪНО СЪЛІВЪНО

tor argumentum quoddam recte tractet, succincta commentatio-  
ne ita sumus digesturi, ut Platonem, de eo, quid sit: ἐρθῶς λέγειν,  
exponentem, partim interpretetur, partim vero iis, quae com-  
memorabimus, lumen accendamus, tum ex scriptis diuinis, tum  
ab oratorum Graecorum latinorumque exemplis. Omnis com-  
mentario nostra duabus sectionibus absoluenda est, quarum pri-  
orem iamiam exordimur.

## SECTIO PRIMA.

*De eo, quid, ex mente Platonis, sit: ὁρθῶς λέγειν.*

§. I.

Ex omni materia ad tractandum ea dicit Plato feligenda,  
ἢ μὲλαι συμφέρειν τῷ λέγοντι, καὶ τῷ ακούοντι, quae utilitatem adfer-  
re possunt et dicenti, et audienti, Sed quid dicenti? (vt haec  
praecipiam;) Imprimis, inquam, ipsi oratori. Est enim dicen-  
dorum argumentum, si arduum, si graue, atque magnificentum est;  
magna dicentis commendatio; neque possunt facile, qui argu-  
menti pondus sentiunt, eum vilipendere, qui haec pondera au-  
ditoribus admetitur. Illud etiam ex meo sensu possum augurari,  
vile futurum esse auditori, quod mihi ipsi profuisse expertus  
sum. Atque habet praeterea dicentis incalcentia magnam vim  
ad accendendos animos audientium, vbi maxime grandia sunt,  
in quibus occupatur vterque. Quis enim non preebereret assensum  
oratori, qui pro auditore docendo, confirmando, et excitando  
ita nititur, tanquam pro semetipso? Sed recipiamus nos, oportet,  
ad euoluendam τὸν συμφέροντος ideam, definiendamque na-  
turam eorum, quae utilia esse possint. Utile autem, tanquam  
ποντικὸν αὐτὸν, generatim ego dixerim illud, quod, in se specta-  
tum, est magnum, dignum, ac foecundum, quod deinde homi-  
num commodis et indigentiae vere et semper potest inferuire, et

A 3

quod

quod denique ita comparatum est, ut sine illo vix villa in re salvus esse valeat homo. Quo itaque sunt excellentiora, hominumque commodis promouendis aptiora ea, de quibus verba facit orator; eo maior est virilitas orationis, qua, qui nos audiunt, ad recte beatoque viendum instituuntur. Saepius τὸ συμφέρειν, et τὸ συμφέρον proponit, tanquam ministerii sui scopum et metam, Paulus. Locus illustris est in Actis, cap. 20, v. 20. ὡς ἐνδὲν ὑπερειλάμην τῶν συμφερόντων, τοῦ μὴ ἀναγγεῖλαι ὑμῖν, cui consona est alia vox Pauli, i. Cor. 7, v. 35. πεὸς τὸ ὑμῶν ὄντων συμφέρον λέγω, id est secundum Theodoretum: τὸ ἐντεῦθεν φύμενον ὑποδέκανυμι κέρδος, indicō lucrum, quod inde prouenir. Vterque locus Pauli hortatius est, FRATRES OPTIMI. Nihil Paulus somnolenter intermisit, vel etiam fraudulenter subtraxit eorum, quae ad declarandam voluntatem diuinam, admonendosque Ephesios et Corinthios aliquid facere poterant. Summam hic in Apostolo summo admiramur verecundiam, ytpote qui, cum omnia diligentissime effecisset, nihil se neglexisse, tantummodo dicit.

Ast quaenam sunt ista, quae ab oratore sacro tractanda, proprie et speciatim possunt utilia esse audienti? Haec quidem, FRATRES, nostri saeculi petulantia non est, ut pro rostris sacrīs, magno apparatu, dicatur de terrae centro, de loco inferni, de angelorum numero, de mundo optimo, de Aristotelis salute, et siquid est huius farinae, de quibus dogmatibus vniuersis intempestiuā quondam erat peroratio. Sed quamvis non docte ab oratore insinuiatur; tamen errare potest is in hoc, vt, dum utilia proponit, utiliora et magis necessaria negligat. Sunt, qui ex commentariis corradunt, qui ex indicibus sapiunt, quique omnia ex suo tantum ingenio et sensu metiuntur. Sunt, quos Christi pudet, quique, vt religionem, ad genus saeculi conformatam, protrahant, nil nisi morum praecepta tradunt, et Christum, exemplaris tantum causa, nominant.

Nos

Nos ea p<sup>rae</sup>primis tractanda esse statuimus dogmata, quae nostrae religionis, nostrae fidei, nostraeque spei *πίστος* consti-  
tuunt. Quae vero ista sint, non opus est multis verbis exponere,  
maxime apud eos, qui puriori religione toti sunt addicti. Christus est lapis angularis, omnis salutis nostrae auctor, omnis me-  
lioris conditionis restitutor, summumque virtutis exemplar. Er-  
go si utilitatem et τὸ στυμφέον veritatis appetis? Ex Christo, veri-  
tate, disces. Si male actorum remissionem? ex Christo, inferni  
victore, accipies. Si salutem firmam et stabilem? ex Christo, Sal-  
vatore, habebis. Si tranquillitatem animi, si spem, si fiduciam,  
si constantiam? ex thesauris facti, pro nobis, λύτεον depromes.  
Si vitae beatae regulas, atque morum institutionem? ex vita et  
moribus Christi deriuabis. Habemus igitur fontem, unde omnes  
hauriamus, et vnde propinare is quoque debet, qui publice ad  
gregem Christi verba fundit.

Praeterea, cum quaedam religionis momenta non quidem  
veriora, attamen magis pertinentia sint; diligenter providendum  
est oratori, ut statum moresque auditorum suorum rite habeat  
perspectos, vtque iis proponat, non tam quae ipse, orator, aut  
rectius tenet, aut de quibus nuperim cogitauit, aut de quibus  
facillime dici potest, sed ea doceat, in quibus male sunt informa-  
ti auditores, ea commendet, quae ab auditore difficulter admit-  
tuntur, ea autem vituperet, et refecet, quae resecando sanan-  
tur, et vstione.

Non potest hic linea quaelibet commode describi. De iis  
namen rebus, oportet, dicat orator, non de quibus ipse velit, sed  
de quibus debeat, quaeque tempori, loco, personis, et finibus  
apte conueniant. Ab homine profano, Isocrate, at summo dicen-  
di artifice, hanc illius sententiam transferimus ad rem sacram:  
*εἴη δὲ προκείνω, τούτους καλλίσcos ξίναι τῶν λόγων, ἔτινες πρεξ μεγίστων  
τυγχάνοντιν ὄντες — καὶ τοὺς ἀκούοντας πλεῖστοι ὠφελοῦσται. Eas ego ora-*  
tiones

tiones pulcherrimas esse, censeo, quae et maximis de rebus agunt  
— et utilissimae sunt audientibus. Orat. Panegyr. I. Magnum  
quoddam est onus, atque munus suscipere, atque profitari se es-  
se, omnibus silentibus, vnum, maximis de rebus, magno in con-  
ventu hominum, audiendum. Sunt quaedam adeo indigna, ut  
neque dici, neque audiri debeant.

§. 2.

De eo, quantum sit dicendum, ita Plato apud Laërtium: μηδείω, μη δὲ ἀλάττῳ τῶν ἱκανῶν, id quod verbis Plinii, L. I. ep. 20.  
hunc in modum interpretamur: Non minus non seruat modum,  
qui infra rem, quam qui supra, qui adstrictius, quam qui effusius,  
dicit. Itaque audis frequenter, ut illud immodice, et redundanter,  
ita hoc jejune, et infirme. Alius excessisse materiam, alius dicitur  
non implesse. Aequo uterque, sed ille imbecillitate, hic viribus, pec-  
cat. Quod certe et si non limatoris, maioris tamen ingenii vitium est.  
Duo sunt igitur, quae in vitio ponuntur, et in quibus peccatur  
ab oratoribus.

Sunt primo, qui supra rem, et effusius dicunt, materiam  
que excedunt, hoc est: qui, vbi in dogma, aut morum praecep-  
tum aliquod inciderint, omnem orationem ab orbe condito, et  
lapsu Adami auspicantur, qui, quicquid de hoc dogmate aut le-  
gerint, aut audierint, aut meditati, aut suspiciati fuerint, cumu-  
latissime effundunt, quique, si vel dicendorum aliquem modum  
seruant, verbosissime tamen istud faciunt, et frustulatim omnia  
exsecant. Evidem et alios audiui, de rebus maximis dicentes,  
qui, quod figuras nimium expingebant, quod rerum similitudi-  
nes ultra id, in quo conueniunt, extendebat, omnem probatio-  
nis vim, omne figurarum lumen, omnemque similitudinis fru-  
ctum perdidérunt. Non satis possum VOBIS, FRATRES, commen-  
dere diligentissimam lectionem eorum, quae Longinus π. u. prä-  
cipit,

cipit, neque etiam mihi possum temperare, quin, ex elegantissima mori versione, ea recitem, quae Longinus c. III. de tumore, et parenthysso pronunciat, quorum vterque materiam, modumque excedit, atque πλειω τῶν ιανῶν extrudit. *Omnino tumoris vitiis adnumerandus videtur, quae difficillime cauentur.* Nam quicunque sublimitatis adperentes sunt, *ii*, nescio quo modo, dum eneruatae et jejuna orationis reprehensionem fugiant, ad tumorem deferuntur, frati illo: μεγάλως ἀπολαθαίνειν θυμός ἐνγενές σύμπτημα. Graue peccatum generosum peccatum est. (Plinius, viribus peccare, maiorisque ingenii vitium dixit.) Sed elatio corporis aequa orationis, tum, cum innanis est, et mera species, virtuosa sit, ac nimirum contrarium vitium efficit. οὐδὲν γὰρ, Φαστ., ξηράτερον οὐδεποτί. Nihil enim, ut aiunt, hydropico aridius est. *Enimvero tumor (saltē) superare vult sublimitatem; puerilis autem affectatio ei plane contraria est, omnino illa humilis ac parui animi signum, et vere ignobile virium.* Quam ergo dicemus puerilem affectationem? Nempe sententiam declamatoriam, quae propter malam scriptoris sedilitatem in frigus desinit. Prolabuntur autem in hoc vitium, qui, dum eximiā, politam in primisque suauem esse orationem volunt, operoso ornatui adbaescunt, et peruerso imitandi studio. Finitimum bis est aliud quoddam commotae orationis vitium, (parenthyssum Theodorus appellare solebat) quod inani et alieno tempore concitata atque immoderata commotione animi constat. Saepe enim, velut ebrii, nonnulli suo ipsorum affectu et declamatorio abripiuntur, non eo, quem res gignit, ideoque auditoribus tranquillis merito risum debent, cum apud sanos insaniant. Ita Longinus, eius verba, quamquam prolixiora, apposite tamen hic volui repetere. Quid? quod apud artis peritos, qui et celeres motus animi suscipiunt, dubio caret, quod vnum adeo vocabulum, quod vnum saepe epitheton, quod vna interdum particula, non suo, aut malo loco, posita, omnem neruum orationis intercidere, omnemque aculeum possit retundere. Illud etiam in oratore

B

acci-

dere solet, vt, cum finis dicendi, secundum Platonem, semper sit penes audientem, ipse orator vel nesciat desinere, vel ultima semper verba emungat et eluat.

Quod autem in vitiis orationis habendum sit, si quis orator aut plura, aut pauciora, quam par est, dicit, generatim Ciceronis malo, quam meis, exprimere verbis: *Qui aut tempus, quid, postulet, non videt, aut plura loquitur, aut se ostentat, aut eorum, quibuscum est, vel dignitatis, vel commodi rationem non habet, aut denique in aliquo genere aut inconcinnus, aut multus est, is ineptus dicitur.*

Peccat, et ineptus est, qui ἀλέιω τὸν ικανῶν, plura, quam ratio exigit, loquitur his maxime nominibus: Qualis est is medicus, qui in aegrotantem, atque infirmum unum omnem medicinam profundit? Nonne hoc supra rem, et effusius, et redundanter? Illi, qui audiunt, instituendi erant, non obruendi. Aut si vitium est verbositatis et loquacitatis in dicente? Quotusquisque auditorum nostrorum istud patienter ferre potest, vt, quod per solidos pendendum erat, ipsis adnumeretur per obulos? vel quotusquisque eo pollet iudicari et acumine, et celeritate, vt numeros infinitos in suam summam statim possit colligere?

Sunt secundo, qui ἐλάττω τὸν ικανῶν, quique infra rem, et adstrictius dicunt, atque materiam non adimplent, cuius rei plures esse possunt rationes. Alius enim orator, multa instructus doctrina, ne audientium intelligentiae nimium diffidere, aut in loquacitatis vitium incidere videatur, male sedulus, omnes voces amputat, omnes sententias dimidiatas reddit, ita, vt non tam explicare, quam explicari ipse velit. Atque hic est ille tumor, quem in oratione reprehendit Longinus, cuiusque exemplum habemus expressum in Senecae epistolis, in Plinii Panegyrico, in Tertulliani scriptis omnibus etc. Alius contra ea orator infra rem dicit, materiamque non adimpler, ea de ratione, quia materiam, de qua dicit, nondum attigit, huiusque, quam inelaboratam relinquit, materiae amplitudinem intelligendo nondum fuit affecutus. Ad hunc ora-

oratorem non tam pertinet dicere, quam discere, discere, inquam, quantum sit animo comprehendendum, et meditandum, prius quam rostra conscendere liceat. Illud equidem aperte profiteor, me tristitiae sensu vehementer affici, vbi oratorem, in largissima messe, video, nil nisi manipulos colligere, et, vbi ipsum in amplissima dicendorum materia, nil, nisi quotidiana, et vilissima quaevis audio dicere. *Kataθη, descendē*, acclamatum est Platoni, cum, ut poterat, pro Socrate apud Athenienses dicere vellet. Diog. Laërt. in vita Socratis. *Kataθη, tu*, inquam, qui non potes, quamuis velis, pro religionis dignitate verba facere, vel ut rectius statuam: Nunquam, mi homo, rostra conscende. Miserrima est conditio virorum eorum, qui et pessime dicunt, et pessime tacent. Atque ita peccant, et inepti sunt, qui in rebus, ac verbis vel plura, vel pauciora proloquuntur, quam par est, atque necessarium.

Quam vero sit difficile, in hoc seruando modo non peccare, et non ineptum esse, id ipsum exinde patere arbitror, quod ii, quos imitatio breuitatis decipit, cum se breues putent esse, nihilo minus longissimi sint, cum non pluribus quidem verbis, sed breuissimis verbis plures res dicant, quam necesse erat. Ita Cicero, de Inuent. Rhet. L. I. Plerisque breuiter dicere videtur, qui ita dicit: *Accessi ad aedes, puerum euocauī, respondit, quaeſui dominū, domi negauit esse. Hic tamēſi tot res breuius non potuit dicere, tamen, quia fatus fuit dixisse, domi negauit esse, sit rerum multitudine longus. Quare hoc quoque in genere vitanda est breuitatis imitatio, et non minus rerum non necessariarum, quam verborum multitudine superflendum est.* Si qua in parte, **FRATRES**, oratori opus est vsu callido, multaque sagacitate, et diuinatione, in eo certe est, ut tantum dicatur, vel non dicatur, quantum necessarium est, vel non est, utque eadem sit mensura dandi, quae est accipiendi. Quos non possumus facere ex auditoribus nostris vel acerbos, vel segnes, ignorata et plane neglecta hac prudentia, quantum culibet oporteat dici!

Videndum nunc est, ad quos dicat orator. Hominibus recitantur orationes, non parietibus, et subselliis, nisi fuerit experitus aliquis, qui dicit, idem fatum iniquum, quod Aristides quidam ex veteri disticho:

Xειρὶς Ἀριστίδου τοῦ ἔγγρος ἐπτα μαθηταῖς,

Τέσσαρες οἱ ποικίλοι, καὶ τέσσαρες συνέλεια.

Gaudete Aristidis, oratoris, septem discipuli,

Quatuor parietes, et tria subsellia.

Est autem eorum, ad quos dicimus, non una aetas, non una conditio externa, non una in nos consensio, non una intelligentia, non una disciplina.

Praeceptorem hic habemus Paulum, Apostolum, qui ad Timotheum his scribit verbis: Seniorem ne saevius oburges, sed horrare, ut patrem, juniores, ut fratres, mulieres natu grandiores, ut matres, juniores, ut sorores, cum omni castitate. I Tim. 5, 1. 2. Eadem quoque postulat natura et indoles eius rei, in qua versamur, ut eorum, apud quos dicimus, diligentissime habeatur ratio.

Aetatum, ad quas locus Platonis, omnium autem maxime Pauli, quae allegauimus, monita sese referunt, atque vnde reliqua multa sponte fluunt, aetatum, inquam, discrimina haec sunt; ut alii ex iis, qui nos audiunt, aut sint seniores, iisque vel prudentes, probi, et longo rerum vsu exculti, vel etiam incompositi, obscuri, et obstinati; (Senectus enim annorum, non viuitis facit titulum!) aut ut alii sint juniores et pares, iisque rursus vel boni et flexibles, vel mali et effrenati. Habet autem quaelibet aetas hominum sua quaedam propria, tum in cogitando, tum in sentiendo, tum in aestimando. Omnia sunt in bono sene longe placatoria, firmiora, et magis despumata, quam in iuuenie bono. Vbi igitur iuuenis delinquens edocendus, ibi senex commonefaciendus, vbi ille multis verbis, ibi hic paucis est excitandus, vbi ille commendatio-

datione, ibi hic recordatione virtutis, vbi ille ad cursus incipendum, ibi hic ad eundem perficiendum est adhortandus. Cum Senioribus, cumque iis, qui magistratum gerunt, et in dignitate sunt constituti, mihi rectius videtur de eiendi vitis esse deliberandum prudenter, quam expostulandum pertinaciter. Habet ista deliberatio magnam efficaciam in conciliandis et deuiniciendis animis, atque facilius fidem habemus illis, qui cum amabili quadam grauitate et ~~devotione~~ ad nos accedunt, quam qui nos furibundi inuadunt. Hominem esse, memento, quem admones quemque ita debes admonere, ut possis emendare. Non aspere, quantum existimo, non duriter, non modo imperioso delicta tollantur; sed magis docendo, quam iubendo, magis monendo, quam minando. Augustin. ep. 61. ad Aurel.

Grauius quicquam est forsitan statuendum in *juniore*s, ut propter qui plerumque obsequendi consilia et voluntatem admittunt, et nanciscuntur ex auctoritate, et dignitate dicentis. Sobrie tamen distinguenda est ista in aetatem infirmam seueritas, ne is, qui flecti poterat animus, vi frangatur, atque ne, quod ex incoigitantia ab homine iuniori factum est facinus, ab excogitatione et obfirmata fronte profectum esse illico censeamus. Habet *Eusebius*, in Hist. Eccl. L. III. c. 23. hanc narrationem: Iohannes, Apostolus, iuuenem quandam ita tradiderat episcopo cui-dam, ut ipsum institueret, et custodiret. Hic autem iuuenis, cum negligenter ipsum haberet episcopus, fuga elapsus, post multa crimina commissa, non latro solum, sed latronum dux erat factus. Quod vbi resciuit Iohannes, in istos latrones se sponte coniecit, utque ad ipsorum ducem duceretur, petiit. Quo impetrato, cumque senex in conspectum istius iuuenis venisset, hic non potuit ferre lacrymas Iohannis, sed emendatus est. Quid pro *Onefimo*, seruo profugo, apud Philemonem fecerit ipse Paulus, non opus est, ut pluribus commemoremus. Multi, multi, inquam, patres, iisque bene quidem animati, sed aequo seueriores,

quos amiserant modo filios, quosque, si clementius cum ipsis actum fuisset, restituere poterant, ex nimia austерitate funditus perdiderunt. Quod ne nobis, patribus spiritualibus, et oratoribus sacris eueniat, summopere caendum est. Pauli, Apostoli, praecepta haec sunt: *Fratres, etiam si praeoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, ipsius, οι πνευματικοι, καταγίγεται τὸ τοιοῦτον, vos, qui spirituales estis, restaurate hunc ipsum*, id est secundum Theodoretum: *διορθῶσθε, σημέτες, τὸ ἐλλεῖπον αναπληρώτε, corrigite, confirmate, quod deficit, supplete.* Addit Paulus notanter et istud: *ἐν πνευματικοῖς περάσητος, in spiritu lenitatis.* Gal. 6. 1. En aliud, idque pressius Pauli: *seruum Dei non oportet pugnare, sed placidum esse erga omnes, — ἀνεξανον, tolerantem et malos, et mala, cum mansuetudine tamen erudiant eos, qui obſtunt, scilicet cuiuscunque iti fuerint aetatis.* 2. Tim. II, 24. 25. Sed de hisce satis!

Quae reliqua sunt in iis, ad quos dicimus, *discrimina conditionis externae, confessionis, intelligentiae, et disciplinae*, cum his, quae de aetatibus exposita sunt, eandem habent mentionem. Conclusio generalis haec esto Tullii: *Natura, usque callido opus est oratori, ut sagaciter peruestiget, quid sui ciues, iisque homines, quibus aliquid dicendo persuadere velit, cogitent, sentiant, opinentur, expectent. Teneat, oportet, venas cuiusque generis, aetatis, ordinis, et eorum, apud quos aliquid agit, aut erit acutus, mentes sensusque deguster.* Vitium non modo non effugiet, qui securus fecerit, sed in hoc etiam genere erit ineptus.

At, si quid coniiciendo valemus, obiici nobis posse, olfacimus, exempla Prophetarum, Apostolorum, vel ipsius Christi, qui duriter, et severissime exceperunt peccantes. Opponi nobis, videmus, auctoritates Ambrosii, Amphilochii, et Chrysostomi, quorum primus Theodosium, imperatorem, propter caedem, in Thessalonicenses iracundius patratam, a templi ingressu prohibuit, quorum secundus, ut Christo, filio Dei, diuinitatem vindicaret, Arcadio, imperatoris filio honorem recusauit, et quorum

rum postremus, Chrysostomus, Eudoxiam, Arianorum haeresi  
impensis fauentem, pro rostris male depinxit. Prouocatur ad  
Lutheri aliorumque virorum summorum facta heroica. Pungitur  
isto enunciato diuino: *Maledictus, qui facit opera Dei negligenter.*  
*Ier: 48; 10.* Atque ita nos adoruntur viri, optime alias animati.

Hac autem in causa ego mihi videor respondere posse hoc  
modo: Exempla prophetarum, apostolorum, ipsiusque Christi,  
ut et facta Lutheri, aliorumque heroica equidem stupefactus ad-  
miror, imitari non sustineo. De Ambrosii, Amphilochii, atque  
Chrysostomi tenore, qui in rigorem tamen exiit, tunc volumus  
decernere, vbi ad exempla ventum erit in sectione secunda: Vna  
voce et mente consentimus etiam in eo: quod peccatis grauiori-  
bus, et libidini grassanti, siue in regibus, siue in magistratibus,  
siue in ciuibus, animus imperterritus sit opponendus. Intempesti-  
uum foret et inexcusabile illud silentium, vbi clamore opus est. At  
in eo dissentitur: quasi zelus non cum amore, quasi indignatio  
non sine iracundia, quasi feueritas non sine duxit esse, quasi anim-  
aduersio, et castigatio non vacare possit contumelia. Ita mecum,  
FRATRES, aestimetis: Hominem in leuiori errore haerentem, vt a  
bona mente plane alienum, incitantem, vt obstinatum, ma-  
lumque habere vt desperatum, et nullius iudicii est, et summae  
iniquitatis. An nosmet ipsi nulla in re aut erramus, aut incogi-  
rantes sumus aut mali? Quomodo nobiscum agi velimus? Arbo-  
rem dignitatis decorticare, est obsequii fructus simul perdere. Ne-  
que etiam potes affirmare, quod nihil intentatum reliqueris, quod-  
que omnia fueris expertus, nisi a lenitate et mansuetudine pro-  
cesseris ad grauitatem, atque feueritatem. Nunquam in causa  
iusta aliiquid est iniuste committendum, vtpote quae impotentia  
magna est. Emollire, non collidere, intendere, non disrumpere,  
vulnera sanare deber orator, non distrahere. *Maledictus est, qui*  
*facit opus Dei negligenter.* Ast nonne opus Dei imprudenter, im-  
moderate, iracunde, acerbe, inique, iniuste facere, est negli-  
ter

ter facere, et ἀπελῶ; Palam loquor, et in secreto arguo, aures omnium pulso, sed conscientias quorundam conuenio. Si dicerem, tu adulter, corrige te; primo forte dicerem, quod nescirem, forte, quod temere audieram, suspicarer. Non dico: Tu adulter, corrige te, sed: quisquis in hoc populo adulter es, corrige te. Publica est correptione, sed secreta correctio. Scio, quia ille, qui timuerit, corriget se. Augustinus ferm. XVI. de verbo Domini. cf. Ioannis Olearii Dissert. de Correptione concionatoria, Lipsiae habita, atque recusa.

Paucissimi sunt certe oratores, quos ignis, ex oculis modeste emicans, quos frons, ad seueritatem contracta, quos vox plena et feriens, quos dignus in ore rubor, quos digitus iste suus, Cic. de Orat. L. II. quosque totius denique corporis habitus ita commendat, ut tonitrua, ut fulmina orationis possint emittere. Atramen quid ipsa tonitrua? nonne fertilitatis ministri? Quid fulmina? nonne ignis purissimus? Gladio opus est militi, acuto quidem, sed non venenato. Videamus, itaque, FRATRES, in omni oratione, maxime vero ἐλέγχῳ τοῦ ἐπωνομάσει, atque animaduersionibus, quid, quantum, et ad quos dicamus.

#### §. 4.

Ad scribendi finem properandum est. *Quando, πηγα, ali-  
quid dicendum sit?* μήτε περιέρω, μήτε ύσερω, neque prius, neque posterius, quam ratio, tempus, ordo, et circumstantiae exigunt. Plurimus usus fuit huius praecepti in orationibus forensibus, a quibus tamen nostrae maxime differunt. Nos iam elaborabimus in eo, quod ad rem sacram nostram attinet. Breuiter hoc fieri posse arbitramur sequenti modo:

*Primo* igitur atque *generatim*, cum omnis oratio ad natu-  
ram indolemque eius rei, de qua dicitur, exprimi debeat, in  
omni

omni construenda oratione ipsam quoque, oportet, sequamur na-  
turam formatricem, nihilque vel prius, vel posterius dicamus,  
quam quando ipsa natura, ut illud dicitur, praecepit. Quaenam  
in conformando corpore humano pars prima? Pefne, an manus?  
Stomachusne? an crines? Cor, tanquam punctum saliens, caput  
que formantur partes priores et posteriores, cum e contrario den-  
tes serius nascantur, septimo anno decidant, et denuo renascan-  
tur. Nostis, quo haec collineat commemoratio dentium, et den-  
titionis tarditas. Eundem ordinem in animalibus, arboribus,  
floribus, et metallis tenet natura, ut a primordiis opus suum ex-  
ordiatur, et ipsa metalla excoquat. Ut itaque orator nil prius,  
nilque, quam par est, posterius ponat, sequenda est ipsi eadem  
lex naturae, ut ex principiis indubitatis procedat, ut lumen ab lu-  
mine accendat, ut materiam dicendi enucleet, utque a veritatis  
puncto saliente, et a capite reliqua membra orationis sponte ef-  
fluant, ac nutritantur, et corroborentur. Atque exinde, cum mem-  
bra orationis, inepta sedulitate, aliter nectantur, quam natura  
ipsa dispositus, omne hiuncum, obscurum, et infirmum orationis  
originem suam habet. Exinde in genere τὰ ποίησα καὶ ἔργα,  
neque nostrum est, excogitare, qua in parte corporis humani  
aut membrum quodlibet disponendum sit, aut nervus annexen-  
dus, aut vena insuenda, sed videndum est, qua ratione dispositus,  
et distinxit, et ordinavit ipsa natura. Summa enim artificium  
hoc est, quod naturam pressissime refert.

Secundo, et speciarim, quando, aliquid sit vel dicendum, vel  
non dicendum, intelligi potest ex institutionibus oratoriis, et di-  
cendi magistris. Quamuis enim, arbitrio Cicerone, eloquentia  
non ex artificio, sed artificium ex eloquentia natum sit, ipsum  
tamen artificium non est efficiendum. Id quod ita parvis verbis  
explicamus:

C

Omnē

Omne nostrorum oratorum sacrorum artificium pendet plerumque a praecepsis, quae vocantur, homileticis, quibus instructi vel tincti statim accedunt ad dicendum. Statuimus nos premium suum his institutionibus, hac tamen lege: ut oratorem optimum eligamus praceptorē, quae cautio prima est, et infinitae utilitatis, utque sagaciter caueamus, ne iuremus in verba magistri, ac ne istud illico rectum habeamus, quod quandam didicimus. Melius forsitan consultum fuisset nobis, *Frates*, si ad praecepta philosophica, et studia humanitatis, si ad Ciceronem, ad Quinctilianum, ad Longinum, ad Hermogenem, si ad Chrysostomum et Lutherum, si ad ipsum vsum, tanquam optimum dicendi magistrum, fuissemus delegati, ita, ut ingenitam nobis vim indagare et *divulgare*, utque istos, quos habebamus, laceratos mouere didicissimus mature, cum contra ea iisdem viribus nunc peccemus, quibus rem christianam efficacissime poteramus promouere. Memini, ex ore GELLERTI, Praeceptoris, me saepius audire hoc monitum: *Longe operosus, o Commititones, elaboramus in eo, ut naturam deseramus, quam ut ipsam sequamur ducem.* Arte opus est, non artis tintinnabulis.

At quando igitur hoc, non aliud, quando breuius, vel copiosius aliquid dicendum? quando his, non alis, rationibus, quando hac, non alia similitudine, quando hoc, non alio lumine, vel umbra, quando hoc, non alio, vocabulo vtendum? quando verbis propriis opus est? quando figurata admittitur oratio? quando docendum, interrogandum, exclamandum, suspirandum, incalescendum, exstupescendum? quando debet exsurgere, quando remissior esse oratio? Si qui sint, qui ad haec omnia sibi videantur respondere posse ex praecepsis puris homileticis, istos, utpote in causa desperata, missos facimus. Sed quid denique? er quis igitur orator? Si oratorem perfectum, et omnibus numeris absolutum exposcimus? Vidi ego, disertos quosdam, eloquentem adhuc

*ad huc neminem. Si oratores probabiles? si prudentes? si mode-  
ratos? si pios? et quos pectoris innocentia commendat? Eos in  
VOBIS, FRATRES, et habeo, et habere volo, atque audire.*

*Quod reliquum est, equidem mihi, tum de iis rebus, quae  
utiles esse possunt, tum tantum, quantum iam satis est, tum ad  
eos, ad quos oportuit, tum in ea quoque opportunitate, videor scri-  
psi, ut cum ad dicendum vos euocarem, simul etiam interpre-  
tarer, quid sit: recte dicere. Valete, FRATRES, in spiritu sancto  
per Iesum Christum, meque ut amamini, amare pergit.  
Torgauiae, Idibus Februarii, MDCC. LXXV.*



But I feel that Chaffin's words fit the situation much better.  
"To overcome Hitler's aggression, MOON AND




94 A 7368



KD A







DE EO  
VENTE PLATONIS SIT  
ΩΣ ΛΕΓΕΙΝ  
COMMENTATIONE  
EIVSQVE  
E PRIMA EXPONIT  
SIMVLQVE  
R DOTIBUS  
MVM ADMODVMQVE  
IRISSIMIS ATQVE DOCTISSIMIS  
ESI TORGAVIENSI  
ADSCRIPTIS  
INSTITVTIS IN HAC VRBE HABENDAS  
FFICIOSE INDICIT  
TTLIEB MERKEL  
ST. PRIM. ET SVP.  
S RUIDELIANIS Ao. MDCCCLXXV.